

(311. Atque hinc in aliquibus ecclesiis, præsertim Nolæ et Mediolani Christiani in ipsis ecclesiis, vel in earum exedris sepeliuntur: quod vero præcipue intelligendum est de ecclesiis extra urbes positis, quæ tunc plures erant; non item de urbanis ecclesiis, ubi cadavera humari tum non licebat.

(312. Et revera quod in ecclesiis urbanis sepeliri non deberent, ex indubiis monumentis utique habemus exploratum. Porro conc. *Bracharense* primum, anno 563 habitum, id luculenter innuit can. 18, per hæc verba: « Item placuit, ut corpora defunctorum nullo modo in basilica Sanctorum sepeliantur; sed si necesse est, deforis circa murum basilicæ, usque adeo non abhorret. Nam si firmissimum hoc privilegium usque nunc manet civitatis (nota), ut nullo modo intra ambitus murorum cujuslibet defuncti corpus humetur, quanto magis hoc venerabilium martyrum debet reverentia obtinere? »

(313. Pari modo refertur apud Gratianum, caus. 13, quæst. 2, can. 15, decretum sub nomine synodi *Vaurensis*, verius ex concil. *Nannetensi*, an. 850, ita statuens: « Prohibendum est etiam secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris ecclesiæ. Intra ecclesiam vero... nullatenus sepeliantur. » — Et in lib. I *Capitul. regis Francorum*, cap. 158, legitur; « ut nullus deinceps in ecclesia mortuum sepeliat. »

(314. Proinde ex allegatis conciliorum et capitularium auctoritatibus eruitur, sæculis sexto, et duobus sequentibus *fideles* laicos in Occidentis ecclesiis in atrio vel porticu earumdem ecclesiarum, non vero intus, sepultos fuisse. Interim vero reges, episcopi, abbates, presbyteri meritis præstantes, ac laici sanctitate conspicui, in templis condito primo cepti fuerunt, prout concilium *Moguntinum*, seu *Moguntiacum* an. 813, aperte ostendit, can. 52, ibi: « Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, aut abbates, aut digni presbyteri, aut fideles laici. »

(315. Sæculo VIII, S. Theodulphus episc. Aurelianensis in epistola ad suos presbyteros prohibens, ut nemo in ecclesia sepeliatur, addit hanc clausulam: « Nisi talis sit persona sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ meritum talem vivendo, suo corpori defuncto locum acquisivit. » Apud Eспенium, *De sepultur.*, cap. 2, num. 31.

(316. Tandem sæculo nono episcoporum et parochorum iudicio, et arbitrio datum est decernere, quosnam in ecclesiis sepeliri dignos putarent, ut ex concil. *Meldensi* an. 855, can. 48, ubi quemlibet mortuum in ecclesia quasi hereditario jure sepeliri prohibetur, nisi quem episcopus, aut presbyter pro qualitate conversationis et vitæ dignum duxerit. Atque ita receptus mos cadavera in ipsis ecclesiis humani, adeo ut

sepulera etiam familiaria in iis extruerentur.

(317. Quamvis autem a pluribus sæculis passim Christianis omnibus sepultura in ecclesiis permessa sit; tamen etiam nunc fidelium dormitioni potius cæmeteria, quam ecclesia videntur destinata. Sane passim cavent synodi recentiores, ut fideles in cæmeteriis sepeliantur, tantumque selectis Christianis, qui vel Deo sacrati sunt, vel dignitate, vel virtutibus, vel nobilitate eminent, dormitionem in ecclesiis concedunt.

In concil. *Mediolanensi* I, sub S. Carol. Borom., p. II, cap. 61, monentur episcopi, « ut morem multis locis intermissum mortuorum in cæmeteriis sepeliendi restituendum curent; » additque: « et si cui locus sepulturæ deinceps dabitur in ecclesia, humi tantum detur. »

(318. Amplius Rituale Romanum edicit, quod: « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cæmeterio, retineatur, et ubi fieri potest, restituatur. » Titul. 34, *De exsequiis*, § 9.

Et revera « cadaverum putredo semper est cum fetore, et dedecet in illo sacro loco, venerando thymiamate sæpissime perfuso, et munditiam redolente, graveolentia corpora condere, unde etiam ratio hæc vocatur civilis a Lavorio, *De sepult.*, tom. II, cap. 6, n. 90, ne aer putrefieret, et locus corrumpetur fetore cadaverum. »

Deinde « a frequenti cadaverum humatione tam fetor, quam humiditas provenire solet, et ita non omnino sanum habitaculum deveniret, prout evidenter hodie quoque dignoscitur in ecclesiis præsertim parochialibus, in quibus frequenter sepeliuntur cadavera. Proh bone Deus! quam differunt ab illis ecclesiis in quibus nulla sepulcra effodiuntur! » Baruffaldus, in *Rituale Romanum*, *De exsequiis*, tit. 34, § 9, n. 92.

(319. Quæres, an in quocunque loco fideles sepeliri possint? R. Olim ex regulis jur. Romani sepeliri corpora humana poterant in quovis loco honesto, qui præterea ex hoc ipso *religiosus* fiebat, et consequenter extra commercium humanum positus, modo illud domino loci sciente, et non contradicente factum esset. § *Nullius* 7, et § *Religiosum* 9, Instit. *De rer. divis.*, l. *Invito* 2, cod. *De religios. et sumpt. funer.*

(320. Id vero per jus canonicum sublatum est secundum quod, ut locus aliquis ob sepulturam corporis humani ibidem factam, jure et privilegiis loci sacri ac religiosi gaudeat, non sufficit, quod privata, sed requiritur, ut publica episcopi auctoritate ad fidelium sepulturam sit deputatus, ut colligitur ex cap. *Ad hæc* 4, *De religios. domibus*. Talia de facto sunt ecclesiæ et cæmeteria. Schmalzgrueber, ad tit. *De sepult.*, n. 1.

(321. Jus vero istud sepulturæ non cuilibet Ecclesiæ competit, sed tantum parochialibus, et iis, qui jus illud, vel privilegio, vel consuetudine legitime præscripta obtinuerunt. Schmalzgrueber, l. et n. cit.

(322. Et primo id juris est ecclesiæ parochiali quoad parochianos omnes, aliosque

quos recenset Lucius noster hic *supra*, n. 22, nisi forte alibi habeant sepulturam, in qua eorum majores sepeliri consueverint, vel ipsi eam sibi elegerint: Hoc enim est jus parochiale, ut habetur in Clement. *Dudum*, § *Hujusmodi*, *De sepultur.*... ita ut etiam parochus præferatur, et ante omnia sit restituendus, si fuerit spoliatus corpore jam sepulto, cum illud possit extrahi auctoritate superioris, tanquam non justæ sepulturæ traditum, et restitui ei, qui jus prælationis habet. Barbosa, *De offic. paroch.*, cap. 26, n. 1.

(323. Quod quidem ex c. 5 et c. 10, *De sepult.* manifeste colligitur. Unde ait Schmalzgrueber, cit. tit. *De sepult.*, n. 77: « Religiosi vel clerici sæculares, si in suis ecclesiis sepelire præsumant aliquem, qui de jure in aliqua parochia sepeliri debebat, debent restituere corpus, seu cadaver sepultum cum omnibus, quæ ratione illius acceperunt. »

(324. Ex privilegio autem jus sepeliendi fideles in templis et cæmeteriis suis habent *ordo Prædicatorum et minorum S. Francisci*; Clement., *Dudum*, § *Hujusmodi*, et Extravagant. *Super cathedram*, § *Hujusmodi quoque*, *De sepultur.* Quod privilegium aliis etiam religiosis communicari tradunt Molin. Donatus, *Prax. regular.*, tom. IV, tract. 9, q. 8, n. 2; Pirrhing, *Desepult.*, n. 30; Schmalzgrueber, ad cit. tit. *De sepult.*, n. 6.

(325. Quæres: quis dare jus, seu privilegium sepeliendi possit? R. Universim in tota Ecclesia dare potest Papa: præter Pontificem, illud dare potest legatus a latere intra suam provinciam, episcopus intra suam diocesim, prælati alii jurisdictione quasi episcopali præditi, intra suum territorium. Idem, *ibid.*, n. 7.

(326. Ut tamen episcopus, vel alius præfatus inferior licite illud det, opus est justa causa et consensu capituli. Ratio est, quia ejusmodi privilegium, vel concessio reputatur inter causas arduas et præjudiciosas: atqui episcopus sine consensu capituli res arduas expedire, et in præjudicium unius Ecclesiæ jus illi competens dare alteri nequit, ergo, etc. (58). Ita in terminis d. Schmalzgrueber, l. c., n. 7. Quod idem notant Abbas, in cap. 9, *Desepult.*, n. 9; Pirrhing, ad cit. tit. *Desepult.*, n. 32. — « A qua tamen concessione crederem abstinendum esse ab episcopo, cum agatur de præjudicio parochorum, qui habent intentionem fundatam in jure communi, ut ibi quis sepeliatur, ubi recepit sacramenta, et cæteroquin episcopus videretur derogare juri communi, quod spectat ad solum Papam. » Hæc habet Giraldi, in Barbos., *De offic. paroch.*, cap. 26, sub n. 14.

(327. Quæres utrum eligi sepultura etiam possit in ecclesiis monialium? Affirmant

(58) Quod episcopus concedere possit ecclesiæ non parochiali privilegium sepeliendi, hæsitare visus est Fagnanus, cap. *Fraternitatem* 5, *De sepult.*, n. 7, quasi hoc privilegium privative spectet ad Romanum Pontificem, argumento ducto ex Clementina *Dudum*, in qua Clemens V illud concessit regula-

Samuel, Murga, Gonzalez, Tellez, Ventriglia; quod concedunt de ecclesia exteriori, quamvis de interiori, scilicet intra septa monasterii, negent. Sed dicendum, neque in ecclesia exteriori monialium eligi sepulturam, aut recipi corpora defunctorum posse absque licentia sac. congregationis. Et profecto « valde contradicit monialium sexui ac statui talis tumultatio mortuorum in earum ecclesiis etiam exterioribus, ne turbentur in earum quiete ab officio in funeralibus ibi necessario faciendo, et quidquid sit in puncto juris, videtur expresse declaratum a sacra congregatione Episcoporum et Regularium, in *Maceraten.* 8 Novemb. 1652, scilicet, quod corpora laicorum, sive virorum fuerint, sive mulierum, nequeant sepeliri in ecclesia exteriori monialium, licet solvere vellent penam synodalem; et ad talem effectum saltem requiritur licentia sacre congregationis, necnon consensus monialium, ut in *Feretrana* 21 Novem. 1603, et eadem sacra congregat., in *Forosempromnien.* 23 August. 1652, scripsit episcopo: « Essendo portata la notizia a questa S. C. che si pensi di seppellire il cadavere di d. Marchionne moglie del Cirasico di costesta città nella chiesa delle monache di S. Bernardo, dove si ha eletta la sepoltura, questi eminentissimi miei signori mi hanno comandato di avvertire a V. S. che essendo ciò contro i decreti della medesima sac. congregazione, non lo permetta in verun modo senza expressa licenza dell' eminenze loro; » — et in *Gravinen.* 1 Octob. 1650: « Nelle chiese, anche esteriori delle monache, non si possono seppellire esteri, e forestieri, nè uomini, nè donne, nè anco prencipi, ancorchè vi fossero sepolti i loro maggiori.... » Quare cum dictæ declarationes sint maximæ auctoritatis, omniaque tribunalia eas recipient, præsertim sacra Rota, ut est notum, tollunt proinde omne dubium... (et) cum emanaverint præfata decreta per viam peculiaris dispositionis... videntur cessare omnia privilegia, non obstante consuetudine, nisi sit immemorabilis, vel quadragenaria cum titulo. Imo ex declaratione sac. congregat. prædictæ, in *Sarzanen.* 29 Novemb. 1622, tenebantur moniales restituere corpora defunctorum in earum ecclesiis tumultata, si petantur, et omnia, quæ perceperunt, præsertim si non fuerint commista cum aliis ossibus, nec non annum legatum ecclesiæ tumultanti relictum, ut in *Mediolanen.* 17 Februar. 1583 13 Jul. 1618 et 5 Julii 1647. — Ita cardinalis Petra, *Comment. ad constit. Apost.*, tom. II: *Comment. ad constitut. 3 Celestini III*, sect. 1, n. 29.

(328. Quod si quis decederet electa sepultura in ecclesia monialium, sepeliendus

ribus ibi expressis; verum *affirmative* concludit his verbis ibi: « Communiter tenetur opinio, etiam episcopum posse hoc privilegium concedere... dummodo id faciat de justa causa, et de capituli consensu, et dimissa parochiali ecclesiæ canonica portione. »

erit in sepultura majorum, vel si talem sit habeat, in parochiali, ac si nullam elegisset sepulturam. « Nam cum electio sepulturæ non possit sortiri effectum, perinde se habet, ac si non elegisset. 1. Si quis sub condit., ff. De test. tutor., et l. Ex sensu, § 1, ff. De appellat., ac proinde subintrat dispositio legis, cessante dispositione hominis. » Hæc Pignatell., tom. IV, consultat. 177, n. 11.

(329. Solet tamen concedi licentia a sacra congregatione, tam pro construendo sepulcro, quam pro sepultura in ecclesiis monialium pro personis bene meritis. Petra, *ibid.*, n. 30.

(330. Quæres, quid sit portio canonica parochialis, vulgo quarta funeralis? *ÿ. Est pars eorum*, quæ occasione funeris, et sepulturæ corporis extra parochiam tumulati, obvenerunt ecclesiæ tumulanti. De jure fere est quarta, cap. Cum super 8, De sepult., de consuetudine aliquando tertia, et aliquando media, cap. Nos instituta 1, et cap. Relatum 2, tit. cit., vel potius secundum Gloss., in cap. cit. Nos instituta, v. Tertiam, et text. cap. Certificari., tit. eod., pro temporum et locorum varietate varia. Schmalzgrueber, ad tit. cit. De sepult., n. 83. Vide v. Quarta funeralis per tot.

(331. Quarta vero funeralis solvenda venit ecclesiæ parochiali, in qua defunctus alioquin sepeliri debuisset, sive in illa parochia sit mortuus, sive in alia. Cap. cit. Nos instituta. — Quod si defunctus duo domicilia habuit in duabus parochiis, est distinguendum; nam si sacramenta, aliaque divina, dum vivebat, in utraque percepit, portio canonica inter utramque dividenda est. Cap. Cum quis, vers. Cum ab eo, De sepult. in 6. At si in una solum sacramenta, aliaque divina percepit, vel in una quidem percepit sacramenta, in altera officia divina audivit, communior sententia vult, totam attribuendam illi ecclesiæ, in qua defunctus sacramenta percepit. Schmalzgrueber, cit. tit. De sepult., n. 86.

(332. Solvi autem debet ista portio ab illa ecclesia, in qua sepultura electa est. Cit. cap. Nos instituta, cap. Cum in nostra 10, præd. tit. De sepult., et Clement., Dudum 2, De sepult. Et hoc procedit, etsi ecclesia illa haberet privilegium sepeliendi eos qui apud ipsam sepulturam eligunt, prout constat ex cit. cap. Cum in nostra; quippe privilegium ejusmodi intelligendum venit conformiter juri communi, vi cujus quarta parochialis solvenda est parrocho absque exceptione. Et etiamsi talis ecclesia sit exempta, ex Clement. Dudum, cit., quippe portio canonica solvenda est ecclesiæ parochiali, quod in ista defunctus sacramenta, aliaque divina perceperit. Schmalzgrueber, loc. et num. cit.

## SEQUESTRATIO, SEU SEQUESTRUM.

## SUMMARIUM.

1. Sequestratio seu sequester quid sit? — 2. Sequester quis sit, et unde dictus? — 3. Seque-

stratio, seu sequester quid sit? — 4. Sequestratio, seu sequester duplex, scilicet sequester voluntarium et necessarium. — 5. Sequester voluntarium seu conventionale, quale sit? —

6. Sequester necessarium seu judiciale, quale sit? — 7. Sequestrari possunt res mobiles et immobiles, res corporales et incorporales, seu jura, res profanæ et spirituales. — 8. Sequestratio seu sequester voluntarium regulariter est permittum. — 9. Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, tamen post factam conventionem inter partes non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere. — 10. Item neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte a tali officio recedere, nisi justa de causa, et interveniente auctoritate judicis. — 11. Sequestratio, seu sequester necessarium regulariter est prohibitum. — 12. Dantur tamen plures casus, in quibus licite potest fieri de jure sequestratio necessaria. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis, quando reus dissipat fructus, quos conservare tenetur. — 13. Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, nedom quando reus tales fructus actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet aut dilapidet in futurum. — 14. Tertio, fieri potest, quando petitur res mobilis, et reus est suspectus, quod cum ea fugiat. — 15. Quarto, fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus. — 16. Quinto, fieri potest in causis beneficialibus.

Quæres quibus casibus portio canonica non debeatur? R. Non debetur:

I. Ex iis, quæ defunctus reliquit aliis ecclesiis ab ecclesia sepulturæ suæ distinctis. Glossa, in cap. 1, De sepult., vers. Judicii; Schmalzgrueber, loc. cit., n. 88.

II. Si relictum sit aliquid ecclesiæ, in qua funus ad tempus solum depositum est, et alio transferendum ad sepulturam perpetuam; quia in tali ecclesia sepulturam proprie non habet. Azor., apud Schmalzgrueber, *ibid.*

III. Si relictum sit ecclesiæ (in qua sepulturam defunctus accepit), pro ornamentis, fabrica, anniversario et ad cultum divinum perpetuum, sine fraude tamen. Barbosa, De officio paroch., cap. 25, n. 47; Schmalzgrueber, *ib.*

IV. Si donatum vel legatum sit aliquid testamento ante sepulturam electam condito, adeoque independentem a sepultura a defuncto electa in tali ecclesia. Azor., apud Schmalzgrueber, *eod.*

V. Si Ecclesia parochialis diu nimis vacavit, ut defunctus in illa sacramenta aliaque divina percipere non potuerit; quia tunc cessat ratio illius exigendæ et consequenter jus ad illam. Wiest., apud Schmalzgrueber, *ibid.*

VI. Si dum defunctus decessit, ecclesia parochialis culpa rectoris fuit interdicta; quia tunc in ea defunctus sepeliri de jure non potuit, nec debuit. Idem, *ibid.*

VII. Si defunctus sit novitius religionis, et dum sanus erat, ingressus est monasterium, atque in illo, vel alibi, quo sanitatis causa se recepit, moriatur: quia tunc jam desit esse parochianus alterius eccles. C. De his 4, De sepulturis; Schmalzgrueber, *ibid.*, n. 89.

VIII. Si legatum ecclesiæ parochiali a defuncto relictum sit ea quantitate, ut portionem canonicam ipsi debitam æquet, et ea conditione, ut ultra illud quartæ parochialis nomine nihil amplius exigatur. Donatus, Prax. regular., tom. III, tract. 11, q. 22; apud dict. Schmalzgrueber, l. c.

IX. Si monasterium vel ecclesia a portione canonica præstanda, per privilegium Apostolicum specialiter exempta sit. Idem, *ibid.* Sed vide v. QUARTA FUNERALIS, n. 24.

X. Si obligationi portionis istius præstandæ parrocho per consuetudinem legitime præscriptam fuit derogatum: talis autem erit, si fuerit annorum XL cum titulo, vel immemorialis sine titulo. Abbas, apud d.; Schmalzgrueber, l. c.

stratio, seu sequester differt a deposito? — 4. Sequestratio, seu sequester duplex, scilicet sequester voluntarium et necessarium. — 5. Sequester voluntarium seu conventionale, quale sit? — 6. Sequester necessarium seu judiciale, quale sit? — 7. Sequestrari possunt res mobiles et immobiles, res corporales et incorporales, seu jura, res profanæ et spirituales. — 8. Sequestratio seu sequester voluntarium regulariter est permittum. — 9. Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, tamen post factam conventionem inter partes non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere. — 10. Item neque ipsi sequestri recipienti rem in custodiam licet sua sponte a tali officio recedere, nisi justa de causa, et interveniente auctoritate judicis. — 11. Sequestratio, seu sequester necessarium regulariter est prohibitum. — 12. Dantur tamen plures casus, in quibus licite potest fieri de jure sequestratio necessaria. Primo enim fieri potest ad instantiam alterius partis, quando reus dissipat fructus, quos conservare tenetur. — 13. Secundo, fieri potest sequestratio necessaria, nedom quando reus tales fructus actu dissipat, sed etiam cum rationabiliter timetur, ne ipsos dissipet aut dilapidet in futurum. — 14. Tertio, fieri potest, quando petitur res mobilis, et reus est suspectus, quod cum ea fugiat. — 15. Quarto, fieri potest, quando quis obligatus ad aliquid præstandum, non præstat, quamvis ad id monitus. — 16. Quinto, fieri potest in causis beneficialibus.

(1. Sequestratio seu sequester est rei controversæ, seu fructuum ejus apud tertium securitatis gratia legitime facta depositio. Sic in re communis. Et colligitur ex l. Licet 17 in princ., ff. Depositi, et ex leg. Sequester 110, De verbor. signific. (2. Unde sequester dicitur is, apud quem plures, nempe actor et reus, eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt, dictus ab eo quod ejus fidem partes contententes, vel judex sequantur, dum res litigiosa ejus custodiæ committitur, cit. l. Sequester 110, ff. De verbor. significat., ibi: « Sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controversia est, deposuerunt. »

(3. Sequestratio seu sequester differt a deposito. Primo, quia deponi possunt etiam res illæ, de quibus nulla est controversia; sequestrari autem possunt duntaxat res illæ, de quibus est lis seu controversia, l. Licet 17, § 1, ff. Depositi; secundo, quia non solum plures, sed etiam unus duntaxat apud depositarium deponere potest; apud sequestrem autem non nisi plures, l. Propria 6, l. Licet 17 in princ., ff. Depositi; tertio, quia illi, qui rem communem depositam deponunt, non singuli eam in solidum, sed pro sua quisque parte, quam in re habet, deponere censetur, leg. 2, § Sed si duo, et cit. l. Licet, ff. Depositi; qui autem apud sequestrem rem litigiosam deponunt, singuli in solidum deponunt, non pro parte, cit. l. Licet 17, ff. Depositi. Quarto, quia in deposito, quoties liberit, res repeti potest; in sequestro autem non nisi post decisam controversiam. Arg. cit. l. Sequester 110, ff. De verb. signific.

(4. Sequestratio seu sequester est duplex, scilicet sequester voluntarium seu conventionale, et sequester necessarium sive judiciale. Communis. (5. Sequester voluntarium seu conventionale, est illud quod fit mutuo consensu, cum videlicet partes de re aliqua litigantes, rem illam

quando duo de beneficio contendunt, et neuter adhuc possidet. — 17. Sexto, fieri potest, quando reus conventus est contumax. — 18. Septimo, fieri potest, quando periculum est, ne partes contententes ad arma deveniant. — 19. Octavo, fieri potest, quando colonus negat locationem, et contra dominum super dominio prædii litigat. — 20. Nono, fieri potest, quando maritus vergit ad inopiam, vel periculum est, ne dotem dilapidet. — 21. Decimo, fieri potest, quando timetur de sævitia viri et non potest securitati uxoris sufficienter caveri. — 22. Undecimo, fieri potest, quando adest periculum, seu justus timor, ne sponsæ, de cujus matrimonio contrahendo lis agitur, aliqua violentia inferatur. — 23. Duodecimo, fieri potest, quando servi conquerruntur de tyrannide dominorum suorum, et rationabiliter timetur, ne ob id domini nimis sæviant in illos. — 24. Remedium juris ad evitandam sequestrationem in supra allegatis, et aliis casibus est sufficiens cautio seu satisfactio de restituenda re litigiosa, vel fructibus ejus in casu, quo pars adversa obtineat in causa victoriam. — 25. Imo per sufficientem, idoneam cautionem, seu satisfactionem tollitur etiam sequestratio jam facta, dummodo datus fuerit fidejussor idoneus. — 26. Alia ad rem ad num. 48.

mutuo consensu deponunt apud tertium sive sequestrem, ut eam interim custodiat, et postmodum tradat vincenti. Et dicitur voluntarium seu conventionale, quia illud faciunt, non coacte, sed propria sua voluntate et mutua conventionem. (6. Sequester necessarium seu judiciale est illud quod fit auctoritate, sive mandato judicis utraque parte invita, vel certe alterutra; fit hoc dupliciter, vel motu proprio et ex officio, vel ad instantiam, ut plerumque fieri solet, unius partis litigantis, altera contradicente, ut quando actor petit sequestrari rem litigiosam, reo contradicente. Et dicitur necessarium sive judiciale, quia fit auctoritate judicis, invita utraque, vel saltem alterutra parte, et partes ipsæ litigantes necesse habent stare tali sequestro, eidemque plene obtemperare. Communis.

(7. Sequestrari possunt res mobiles et immobiles, res corporales et incorporales, seu jura, res profanæ et spirituales. Card. Tuschus, verb. Sequester, conclus. 101, n. 5; Barbosa, ad Rubric., tit. 17, De sequestrat., n. 7; Pirrhing, lib. n. Decret., tit. 17, n. 4; Reiff., *ibid.*, n. 4, et alii passim.

(8. Sequestratio seu sequester voluntarium regulariter est permittum, quia est quædam species depositi, et consequenter est legitimus contractus. Cit. leg. Licet, ff. Depositi. Unde Gailus lib. 1 Practic. observ. 148, n. 7, expresse dicit, quod sequestratio, quæ fit ex voluntate et mutuo consensu partium, semper licita sit. L. Si soluturus 39, ff. De soluturibus, l. Propria 6, ff. Depositi, l. Interesse puto 39, ff. De acquir. possess.

(9. Quamvis autem talis sequestratio ab initio sit voluntaria, sicuti cæteri contractus approbati, l. Sicut 5, cod. De actionibus et obligationibus; tamen post factam conventionem inter partes, non licet ipsis partibus contrahentibus ab ea recedere, juxta illud vulgatum: « Quod a principio est voluntatis,